

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0045

0043

0049

0039

0054

0034

0094

0144

0544

1044

Ende

Anfang

34

lapides erant, limpidissimi, ad jaciendum apti. Ita ergo stabant illi contra istos et conclamabant. Patroni et Trutschelmannus multis laboribus pacem fecerunt, et nunc hic nunc ibi tumultum sedabant, quia multos vexare coeperant. Cum autem tumultus sedatus esset et cuncti silerent, quidam Sarracenus occulce jactare coepit cum lapidibus in exercitum peregrinorum. Ad hoc resuscitati omnes ad lapides cucurrimus et cum magnis clamoribus Trutschelmannum invocavimus et patronos, ut protegerent nos ab istis latronibus. Et quidam de nostris in Sarracenos lapides miserunt, propter quod irati cum exemptis gladiis descenderunt, cogentes nos, lapides levatos deponere. Videns autem Trutschelmannus Sabothytanco, Calinus major, quod ambo partes (195 A) exardescerent in invicem et dentibus fremerent, desperatus de pace jussit surgere totum exercitum ad recessum. Et ita asinos ascendimus et de loco illo maledicto recessimus. Hujus loci insecuritatem Dominus Jesus memorat Lucae X. de eo, qui descendit de Jerusalem in Jericho, qui incidit in latrones. De quo patebit fol. 211 A. Et quodammodo in majori periculo nos fuimus, quia latrones nobiscum in nostris expensis duximus. Tolerabiles fuissent latrones ignoti, quia dicitur: inimici domestici pessimi. Porro domus illa, juxta quam manere volebamus, fuerat quondam hospitium, more orientalium. Aedificant enim in viis publicis magnas domus cum multis stabulis inferius et cellulis superius, pro quiete bestiarum et hominum, et stat domus sine inhabitatore et sine supellectili cum porta aperta, et dum alieni ibi transeunt, intrare possunt et in umbra quiescere, et ea, quae important, possunt manducare; ibi nec cocus nec coca est. Habent enim cameli onerarii suos certos terminos, quos non transgrediuntur, sed ibi quiescunt, et communiter in illis terminis stant talia hospitia pro quiete bestiarum et hominum. Nec reperiuntur in oriente alia hospitia, nisi talia diversoria vacua, in quibus nihil est, nisi quod homo importat. Et videtur, quod semper talia diversoria fuerint hospitia orientalium. Unde dicitur Genes. 42. de fratribus Joseph, quod in diversorio existentes unus aperuit saceum, ut daret bestiae pabulum. Et Exodi IV.: volebat Dominus occidere Moysen in diversorio manentem. Et Dominus natus est in diversorio tali,

